

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2313

**Auteur(s) :** Hugues de Saint-Brice [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Saumur, Saint-Florent (abbaye)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1150...

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Divers dons et restitutions faits au prieuré de Briouze. Vers 1150.

Au lit de mort, et disposant de ses biens, Hugues de Saint-Brice restitue à St-Florent des offrandes et dîmes dont il s'était emparé, et il donne un pré lui appartenant.

Mourant et devenant moine, Adam de La Carneille donne, avec l'approbation de son fils, la terre des enfants de Gaudin de Courteilles.

Après avoir voulu devenir moine de St-Florent, Samson de Crèvecœur prend l'habit de St-Martin-des-Champs, mais il abandonne au prieuré de Briouze tout ce qu'il réclamait sur le moulin dudit Crèvecœur.

Hugue, prêtre du Mesnil, ayant restitué la chapelle de Bernay, membre de l'église de Sevrai, on le fait moine et on lui donne 40 sous manceaux, plus 5 à Henri de Batilli.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Marchegay Paul, *Chartes normandes de l'abbaye de Saint-Florent près Saumur (710-1200)*, MSAN n°30, 1880, n° 28, p. 695-697.

## Dissertation critique

Datation proposée par p. Marchegay.

Texte établi d'après a

HIC INCIPIT SCRIPTURA, COMPOSITE ET VERO ORDINE GESTA, DE ELEMOSINIS QUIBUSDAM DATIS ABBATI ET MONACHIS S. FLORENTII DE SALMURO, ET DETERMINATE DE CELLA BRAIOSENSI.

Hugo de S. Briccio, in morte res suas disponens, injurias plures quas recognovit fratribus S. Florentii hoc modo correxit. Oblationem Ascensionis, quam sibi usurpaverat, eis habendam concessit, duas partes videlicet ; decimam quandam, quam similiter vi eis tulerat, cum alia esse communem jussit. Item de decima de Scoceio, quam in sua domo consuete congregari voluerat, precepit, et bono animo concessit, ut in domo monachorum colligeretur: tantummodo nichil suæ partis heredes sui amitterent ; et preter hoc quod legitima consideratione ipsi monachi decimatores in ea mitterent, de suo proprio unum arpentum prati eis in elemosinam dedit.

Hujus rei concessores et plegii et testes sunt hii omnes qui ibi affuerunt: Oliverus de Boceo, Robertus de Chantelou, Radulfus de Sivraco, Radulfus Falco, Robertus de Plaiseiz, Robertus filius Ansgeri, Savaricus filius Ameræ, Robertus filius Ameræ.

Iterum. Adam de Carnella, moriens, factus fuit monachus S. Florentii. Ad augmentum vero cenobii, dedit fratribus terram filiorum Gaudini de Cortellis: et illud donum super altare posuit, concessu Gauteri filii sui et consilio Roberti de Feritate, qui ibi tunc temporis aderat ; et ita quod Willelmus filius Gaudini, qui heres terre est, affuit. Cum his etiam aderant qui inde testes sunt: Thomas Taillebois, Robertus Bos, Willelmus de Torailis, Willelmus filius Unfridi, Malerbus, Hugo decanus, Rogerus decanus, Gauterus de Villa, Gauterus filius Josciaë, Gauterus Lanceam Levatus.

Item. Sanxon de Crievecor voluit fieri monachus S. Florentii, et se in manibus monachorum de Braiosa misit ; sed, mutato ejus animo, factus est monachus S. Martini de Campis. Quod quia concesserunt ei fratres de Braiosa, quietum concessit eis id quod clamabat in molendino de Crievecor. Hoc concesserunt ejus filii et uxor sua. Ibi affuerunt testes: Paganus de Mesnilgio et Gislebertus filius suus.

Item. Hugo, presbiter de Mesnilese, capellam Bernaii, quæ membrum est Sivracensis ecclesiæ, ut injuste a se diu obtentam, fratribus de Braiosa reddidit ; unde fecerunt eum monachum et fratrem suum, et preter hoc quadraginta solidos Cenomannensium ei tribuerunt, et Heinrico de Batileio, quia hoc concessit, quinque solidos Cenomannenses. Hoc concesserunt filii Hugonis omnes.

Ibi affuerunt testes: princeps de Castro Gunterii, Guillelmus heremita, Robertus decanus de Fraxineta et alii.